

§ VIII.

DE CENSIBUS, AN SINT LICITI, VEL USURARIJ?

126. *Census, quid.* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit census? Resp. I. Quamvis nomen census varie accipiatur, ita ut quandoque sumatur pro æstimatione honorum: quandoque pro ipsis bonis seu fortunis, quæ censentur, juxta illud poetæ: Dat census honores, census amicitias. Quandoque pro tributo, ut Matth. 22. Licet census dare Cæsari, an non? tamen ad propositum proprie loquendo, census est jus contractu aliquo constitutum percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius. Ita Lessius lib. II, de I. et I. cap. xxii, n. 2. Pirhing h. t. n. 65. Layman lib. III, tract 4, cap. xviii, n. 4, dicitur primo: Jus percipiendi annuam pensionem, etc., nam quamvis interdum ipsa pensio vocetur census, proprie tamen loquendo census non est ipsa pensio, sed jus eam exigendi. Et hinc si per contractum quis vendat censum, non vendit pecuniam aut fructus annuos, sed jus quoddam, ratione cujus emptor census potest annuatim exigere certam pecuniam, aut fructus ex re alterius.

127. *Censuarius et censualista, quis dicatur?* — Porro venditor census, id est, ille, qui accepta certa pecuniæ quantitate supponit rem suam censui, sese obligando ad solvendam annuatim certam pensionem ex ea, dicitur censuarius. Qui vero pretium dedit, sicque censum, seu jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius emit, vocatur censualista. Pirhing loc. cit. et alii.

128. *Census contractu aliquo permutationis, vel et quidem præcipue venditionis constitui potest.* — Dicitur 2. Contractu aliquo constitutum. Per quod differt census a pensione illa, quæ quandoque constituitur in beneficiis ecclesiasticis auctoritate superiorum, v. g. parochi seni parochiam resignanti ad sustentationem vitæ. Dicitur 3. Super re vel persona alterius; tum quia datur etiam census personalis, ut infra num. 140, dicitur. Tum quia per hoc differt census ab Emphyteusi, siquidem in hac, sicut ei in feudo dominium directum manet penes dominum, utile vero transit in emphyteutam vel vasallum. Secus fit in censu; nam censualista nullum habet dominium in re censuali (quæ proinde simpliciter est alterius), sed jus duntaxat percipiendi ex ea quotannis cer-

tam pensionem, mediante contractu emptionis, permutationis, vel donationis sibi competens.

129. *Census varie dividitur; et quidem alius est reservativus.* — Resp. II. Census varie dividitur. Et quidem primo in reservativum et consignativum, dein in realem et personalem; in perpetuum ac temporalem, ut alias faciliores ejus divisiones taceamus. Census reservativus dicitur, cum quis rem suam pleno jure domini (id est, tam quoad dominium directum, quam utile) transfert in alium donando, legando, vendendo, aut permutando, reservata sibi annua pensione ex re illa præstanda. Et de hoc fit sermo L. ult. C. de Rerum permutat. ibi: Ea lege rebus donatis Candido, ut, quod placuerat, annuum sibi præstaret. Quomodo Joseph Ægyptis dedit terras prius permutationis cum tritico subjectas dominio Pharaonis, sub annuo censu Pharaoni præstando. Genes. cap. xlvii, v. 24.

130. *Alius consignativus.* — Census consignativus dicitur, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum ac utile retinet, vel etiam super persona sua alteri jus pensionis annuæ consignat: qui census quamvis alteri constitui possit mediante contractu donationis, venditionis, vel permutationis, aut alio consimili modo, tamen in proposito occasione materiæ usurarum præcipue agitur de eo, qui emptione constituitur, utpote de quo est præcipua difficultas, an sit usurarius necne? dum v. g. centum florenis a te emo jus percipiendi in annos singulos ex agro tuo scapham frumenti, vel e domo tua quinque florenos: in qua acceptione census consignativus est veluti species quædam emptionis ac venditionis, unde et in jure canonico in Extravag. Martini V, et Calisti III, quarum quælibet incipit, *Regimini*, de eo agitur sub titulo, de emptione, et venditione.

131. *Consignativus alius est realis, alius personalis.* — Census consignativus ulterius dividitur in realem et personalem. Realis est, qui fundatur sub certa re una, vel pluribus, ex quibus pensio solvenda sit, v. g. super domo, agro, vinea, etc., et ideo committatur rem, ad quemcumque possessorem perveniat, donec census redimatur. Census personalis est, qui fundatur super certa persona, obligante se ad annuam pensionem ex industria, arte, opificio, vel aliunde solvendam sine ordine ad aliam rem, ex qua

pensio sit solvenda: quamvis interdum securitatis gratia fundus aliquis hypothecæ supponatur, ut ex eo præstetur pensio, si hæc a persona debitrice nequeat obtineri.

132. *Alius mixtus.* — Addunt doctores censum mixtum, qui videlicet constituitur super re, et super persona immediate, ita ut etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata. Nam secus fit in censu mere reali, ibi re ex parte vel in totum pereunte, perit simpliciter census ex parte vel ex toto, ut amplius infra dicitur.

133. *Alius pecuniarius, alius fructuarius.* — 3. Dividitur census in fructuarium, et pecuniarium. Fructuarius dicitur, ex quo debentur fructus, ut frumentum, vinum, et hujusmodi. Pecuniarius est, ex quo debetur pecunia, id est certa quantitas ejus.

134. *Alius certus, alius incertus.* — 4. Dividitur in certum, et incertum. Census certus dicitur cum certa pecunia, vel fructuum summa in pensionem constituta est, ut quinque floreni, vel duæ scaphæ frumenti. Census incertus est, cum indeterminata pars fructuum, v. g. tertia, vel quinta annuatim solvenda constituitur: sicut fecit Joseph in Ægypto.

135. *Alius temporalis, alius perpetuus, et hic alius redimibilis, alius irredimibilis, temporalis alius ad certum tempus, alius vitalitius.* — Insuper ratione temporis futuri, dividitur census in perpetuum, et temporalem. Perpetuus est, qui nullam determinatum tempus habet, sed vi conventionis perpetuo durat. Et hic ulterius dividitur in redimibilem, et quidem vel ex parte solius venditoris, ita ut ei liceat restituto pretio ab obligatione solvendi censum se liberare: vel ex parte solius emptoris, ita, ut hic resignato censu possit pretium suum repetere: vel ex parte utriusque, ita ut tam venditor restituto pretio a censu se liberare, quam emptor resignato censu pretium pro eo prius expensum iterum repetere pro libitu valeat. Et in irredimibilem, qui amplius redimi nequit. Temporalis etiam subdividitur in eum, qui extenditur ad certum tempus, v. g. ad 30 vel 50 annos: et in eum, qui extenditur ad tempus incertum, puta, ad vitam unius hominis, vel duorum, et hic census proprio nomine dicitur vitalitius.

136. *Proponitur status controversiæ.* — Explicata itaque natura et varietate census, summe præctica et magni momenti examinanda venit controversia, an, et qui census

sint liciti, vel usurarii? ubi tamen præmittendum, non esse hic controversiam et quæstionem de censu reservativo, hunc enim licitum esse, probat exemplum Josephi proregis Ægypti, et communiter affirmant doctores. Sed de censu consignativo, et quidem constituto per venditionem et emptionem; nam si is constituatur per legatum, aut per donationem, minor est difficultas, et nullum periculum usuræ. Emptiones vero censuum seu censualium reddituum omni tempore nonnihil visas esse, suspectas, et ad instar clypei pro subterfugiendis usuris adinventas, recte cum aliis notat Fagnanus, c. In civitate, tit. de Usuris, n. 19. Hinc.

137. *Census realis consignationis emptione constitutus licitus, et ab usura immunis est.* — Quæritur II. An census consignativus realis, per emptionem et venditionem constitutus sit licitus vel potius usurarius? Resp. I. Census hic realis tam pecuniarius, quam fructuarius redimibilis ex parte venditoris est licitus, si eo pretio fuerit emptus, quod vel lex taxavit, vel loci consuetudo approbavit. Ita communissima, et hodie certa doctorum sententia, utpote clare decisa in Extravagantibus Martini V et Calisti III, quæ habentur in jure canonico inter Extravag. communes tit. de Emptione et venditione; ubi ex professo definitur, ejusmodi contractus censuales, seu census emptos, in quorum redditibus ac fructibus pleræque monasteriorum, hospitalium, ecclesiarum, et beneficiorum ecclesiasticorum fundationes atque proventus consistere dignoscebantur, esse licitos, juriq. conformes, et vendentes eosdem ad ipsorum solutionem censuum et reddituum, juxta dictorum contractuum tenores efficaciter teneri, etc. Eundem censum approbavit etiam Pius V, in Constitutione *Cum onus Apostolica*, infra alleganda.

138. *Probatur ratio.* — Ratio est, tum quia usura non committitur præterquam in mutuo, arg. c. Si fœneraveris, et seqq. 14, quæst. 3, et patet ex ipsa definitione usuræ allata n. 3. Atqui in censu non intervenit mutuum, sed verus contractus venditionis vel emptionis; nam censuarius vendit sub certa pecunia ipsi censualistæ jus percipiendi fructus aliquos ex suo agro, prædio, etc. ergo. Tum quia census realis est veluti pars quædam usufructus: nam continet jus percipiendi partem fructuum, sine annuorum reddituum: usufructus autem si se

ius percipiendi fructus prædii alieni licite emi potest, arg. l. *Necessaria*, 8, § fin. ff. *de Periculo rei venditæ*. Accedit, quod census realis titulo donationis et legati indubitate constitui possit, ergo etiam titulo emptionis. Et hæ rationes militant non tantum de censibus antiquis, sed etiam de novis, seu de novo sub certa numeratione pecuniæ constituendis; sicut nec Extravagantes n. præced. citatæ distinguunt inter census antiquos et novos; unde et hos esse licitos passim fatentur doctores, dummodo observentur certæ conditiones infra ponendæ.

139. *Census præfatus realis ex parte venditoris redimibilis omni jure licitus est.* — Dicitur autem notanter in conclusione n. 137, posita: «Census realis redimibilis ex parte venditoris;» quia de hoc expresse loquuntur, eumque ut licitum approbant præfatæ constitutiones Pontificiæ supra allegatæ. Num autem, et quo jure licitus sit census ex utraque parte redimibilis, et irredimibilis? dabunt conclusiones sequentes.

140. *Census vero ex utraque parte redimibilis.* — Resp. II. Loquendo de jure naturali etiam ex parte emptoris seu censuariae redimibilis census realis consignativus licitus, et ab usura immunis est, Lessius, lib. II, de *l. et l.* cap. xxii, n. 56; Layman, lib. III, tr. IV, cap. xviii, n. 5; Pirhing, h. t. n. 71; Engel, h. t. § *Verum quidem*, n. 22; Gabriel, in 4, dist. 13, q. 12, art. 2, concl. 4; Medina, q. 15, *De rebus per usuram acquisitis*, § *Quæ de pacto*. Conclusio præter rationes supra n. 137, allegatas inde probatur; tum quia pactum redimendi ex parte utriusque etiam aliis emptionibus apponi potest, prout cum aliis bene docent Covarruvias, lib. *Variar. resolut.* cap. II, n. 2; Lessius, lib. II, cap. xxi, n. 120; tum quia universaliter tractatus ex conventionem legem accipiunt, c. *Contractus*, 85, de *Reg. jur.* in 6, et l. *Contractus*, 23, ff. eod.; tum quia onus censuario impositum, quod pretium pro libitu censuariae reddere debeat, si hic census remittat, ad æqualitatem compensari potest, solvendo majus pretium pro censu.

141. *Sicut et census perpetuo irredimibilis, jure naturali quidem licitus.* — Resp. III. Etiam census realis perpetuus, et ex utraque irredimibilis licitus, atque ab omni usura immunis est, loquendo de jure naturali. Lessius, loc. cit. cap. xxii, n. 34; Layman, loc. cit. n. 3 et 7; Pirhing, h. t. n. 64;

Haunoldus, tract. XVIII, n. 338. Conclusio probatur iisdem rationibus, quibus præcedens. Et confirmatur a paritate cum licita emptione perpetua, et irredimibili usufructus; quod enim juris est de toto quoad totum, est etiam de parte quoad partem, l. *Quæ toto*, ff. de *Reg. jur.* Accedit, onus venditori incumbens, quod census redimere nequeat, posse aucto pretio compensari.

142. *Humano autem tam civili, quam ecclesiastico prohibitus est.* — Dicitur autem notanter in utraque conclusione, loquendo de jure naturali; quia loquendo de jure humano civili, et ecclesiastico uterque, scilicet tam census ex utraque parte redimibilis quam perpetuus, et ex utraque parte irredimibilis expresse prohibitus est. Prior quidem a Pio V in sua Constitutione *Cum onus*, § 12, ubi penitus prohibetur, quod emptor pro libitu repetere possit pretium, et a Carlo V in comitiis Augustanis anno 1548 et 50 celebratis sub titulo de usurariis contractibus, quibuscum concordare videntur Extravagantes n. 137 citatæ, hoc ipso, quod redemptionem census soli venditori permittant; idque propter periculum usurariæ intentionis, quæ in hujusmodi censu facile præsumitur in foro externo, uti bene advertunt Laym. cit. cap. xviii, n. 6; Engel, h. t. § 2, n. 22, et alii. Alter vero seu census ex parte utraque irredimibilis per ambas Extravagantes n. 137 citatas, item per infra n. 153, adducendam constitutionem expresse velint, ut semper in potestate et libertate venditoris maneat, census venditum pro libitu redimere, restituendo iterum pretium emptori.

143. *Consuetudine tamen, uti in Germania, licitus reddi potest.* — Quoniam vero ambo hi census juri naturali, vel divino non adversantur per dicta n. 140, et seq. sed soli humano n. præced. allegato; contra jus humanum autem valida et licita sit consuetudo c. fin. de *Consuetud.* etiam licite et valide practicari poterit, uterque tam irredimibilis videlicet ex omni parte, seu perpetuus, quia redimibilis ex utraque parte, in locis, ubi præfatæ constitutiones humanæ civiles, et ecclesiasticæ vel non sunt usu receptæ, vel per consuetudinem contrariam legitime præscriptam quoad hoc præfatæ, prout videtur, rem se habere in Germania, utpote in qua teste Laymano, lib. III, tr. IV, cap. xviii, n. 6; Pirhing, h. t. n. 72; Engel, eod. loc. cit. consuetudine introductum ha-

betur, quod etiam census ex utraque parte redimibiles emantur, dando pretium centum florenorum pro jure percipiendi singulis annis quinque.

144. *Ita tamen, ut pro utroque hoc censu majus detur pretium.* — Notat tamen Layman, loc. cit.; Pirhing, loc. cit.; Lessius, Gabriel, Medina, citati n. 140 æquum videri, ut pro censu ex utraque parte redimibili majus pretium detur, quam ex parte solius venditoris redimibili; cum enim venditori magis favorabile, et e contra emptori magis onerosum, consequenter pretio æstimabile sit, quod ille restituendo pretium pro libitu redimere possit census, hic vero pretium pro censu expensum amplius repetere non possit, sed nolens volens pro libitu venditoris relinquere debeat, utique minori pretio talis census emi potest, quam si ex utraque parte redimi valeat, adeo ut si vi consuetudinis pro censu ex utraque parte redimibili annuorum 5 florenorum dantur centum; pro censu ex parte solius venditoris redimibili, seu pro jure percipiendi annuatim 5 floreni, sufficiens pretium videantur 80 floreni.

145. *Proponuntur et solvuntur objectiones contra censum realem, præsertim ex utraque parte redimibilem et perpetuum.* — Objicies contra utramque conclusionem n. 140 et 141 positam, et doctrinam inde a n. 142 deductam. Census ex utraque parte redimibilis non videtur differre a mutuo; utpote in quo, sicut in illo debitor sortem acceptam pro libitu restituere, et creditor illud repetere potest; ergo sicut in mutuo, ita in isto usurarium erit aliquid ultra sortem, vel pretium datum exigere. Resp. Negando. Ant. et paritatem: disparitas est; tum quod, uti doctores communiter bene colligunt, ex allegatis n. 137 Extravagantibus; etsi in mutuo bona et facultates hypothecæ pereant, tamen debitor nihilominus ad restitutionem mutui, et usurarum obligetur; e contra vero in censu reali, si res, ex qua census, seu jus annuatim ex ea percipiendi fructum, casu perit, pereat quoque census, et facultas repetendi pretium pro ea expensum per dicenda infra n. 150. Tum quia in contractu censuali vera intervenit emptio et venditio; ergo differt a mutuo, et consequenter usuram non involvit, utpote, quæ in solo mutuo datur, per dicta supra n. 138.

146. *Census quomodo differat a mutuo?* — Dices, est contra naturam pecuniæ, et emp-

tionis, quod una pecunia præsentem, ematur pecunia futura annuatim percipienda; cum pecunia ex sua natura sit instituta, ut per eam emantur aliæ res pretio æstimabiles, et quidem præsentem, non futuram; ergo. Resp. Vi contractus censualis non emi ipsam pecuniam, sive præsentem, sive futuram tanquam mercem, sed jus præsens percipiendi suo tempore pecuniam; quod jus non minus ac alia jura incorporalia vendi potest. Nec contra naturam emptionis est, quod jus hujusmodi non statim, sed in futurum primum currat; cum etiam jus percipiendi futuros fructus agri, vineæ, emi valeant, l. *Nec emptio*, 8, ff. de *Contract. emptio*.

147. *Observatur inæqualitas, et quomodo?* — Urgebis: In contractu emptionis debet esse æqualitas inter mercem et pretium, per vulgaria; atqui hæc non datur in censu præsertim redimibili ex utraque parte vel perpetuo; cum enim venditor census præter totum pretium centum v. g. florenorum acceptum debeat emptori restituere singulis annis quinque, idque in censu perpetuo ita continuare, ut successu temporis in duplo, triplo, vel ultra restitui debeat pretium solutum, plane adesse non videtur æqualitas ad emptionem requisita. Resp. Inæqualitatem hanc evitari, vel potius varie compensare aliunde; et quidem partim ob periculum amittendi et pretium, et census, casu, quo res censui supposita perit; partim propter advenientem aliam impossibilitatem denuo recuperandi, quo forsitan emptor indigeret ad facienda lucra, vel vitanda damna: partim quia ob molestias et expensas, quas censuista sæpe pati debet pro perceptione census: partim etiam, quod pretium pro censu perpetuo, vel etiam ex utraque parte redimibili possit augeri. Cæterum fateor, nec census ex utraque parte redimibilem, nec perpetuum practicari posse in locis, ubi consuetudo non est; quia hæc alibi non extante intrant, et obligant constitutiones tum civiles, tum ecclesiasticæ n. 141 allegatæ, præfatos census expresse prohibentes.

148. *Ut census realis sit licitus, de jure naturæ requiritur. I. Ut super re frugifera constituitur.* — Quæritur III. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut validus ac licitus sit contractus censualis? Resp. In contractus censualis sit licitus ac justus, juræ naturæ requiruntur sequentes conditiones. Prima

est, ut census constituatur in re frugifera, quæ affert utilitatem et fructum, ut est ager, domus, et hujusmodi: nam vi census venditur jus percipiendi fructus alicujus rei, consequenter hæc debet esse frugifera. Unde si res fructum, vel redditus annuos non fert, et ferre non potest, super ea census constitui non valet; imo si quidem fructus, sed pauciores singulis annis affert, quam census exigit, eatenus, quatenus minus fert, super re frugifera impositus censetur. Molina, *de Justit. et jur. disp.* 389, n. 12; Pirh. h. t. n. 78; Medina, *de Usuris*, q. 42, cum communi aliorum.

149. II. *Ut justo pretio ematur, quod in Germania est centum pro quinque annis.* — Secunda conditio jure naturæ requisita ad contractum censualem est, ut justo pretio census vendatur et ematur; hæc enim conditio ex natura rei requiritur ad quamcunque venditionem et emptionem. Censetur autem justum pretium, quod vel lege, vel consuetudine, aut saltem iis deficientibus arbitrio proborum et prudentum virorum taxatum est: quale in imperio Romano censetur esse centum pro quinque annuatim præstandis, per constitutionem Caroli V editam in comitiis Augustanis anno 1548.

150. III. *Ut si res censui subjecta, ex toto, vel ex parte perit, aut infrugifera reddatur, ex toto, vel ex parte pereat quoque census.* — Tertia conditio est, quod si res censui subjecta, pro parte aut ex toto pereat, vel in perpetuum (secus si ad modicum tempus cum refusione fructuum alio tempore percipiendorum) infrugifera reddatur, pro rata seu juxta commensurationem etiam ex parte, aut ex toto census pereat. Siquidem censualista habet jus ad fructus rei, seu est dominus hujus juris, quælibet autem res domino suo fructificat aut perit. Hinc si casu fortuito domus censui subjecta pereat absque culpa censuarii, perit census; secus, si pereat, v. g. incendio ex culpa censuarii, nam tunc is vel debet refundere pretium census, vel hunc super alia re immobili constituere, ut post Lessium, lib. II, cap. xxii, n. 88, Molinam, *disp.* 391, n. 3; Tannerum, ac communem aliorum notat Pirhing, h. t. n. 80 pluribus hanc conditionem explicans.

151. IV. *Ut res censui subjecta invito censualista non alienetur in talem, a quo census facile habere nequit.* — Quarta conditio est, ne res censui subjecta, sine consensu cen-

sualistæ alienetur in talem, a quo census vel simpliciter, vel sine difficultate haber non posset. Pirh., loc. cit., num. 81. Sotus lib. VI, q. 5, a. 3. Ratio patet, quia ali jus censualistæ redderetur deterius.

152. *Præter has conditiones jure naturæ requisitas, requiruntur insuper aliqua jure humano. Et quæ? — Resp.* II. Præter has jure naturæ ad censum requisitas conditiones sunt nonnullæ aliæ, quæ vel in duabus Extravagantibus Martini V et Callisti III indicantur, vel in Bulla B. Pii V quæ incipit, *Cum onus Apostolicæ*, anno 1569, super censibus edita de novo requiruntur: ut quod census non nisi super re frugifera de sui natura, et immobili, vel quæ pro immobili habetur, constituatur; ut census in posterum non nisi redimibiles constitui possint, consequenter perpetui non valeant; ut pretium census ab invito repeti non possit, præterquam si censuarius denunciaverit, se traditione pretii velle censum extinguere; consequenter non procedant census ex utraque parte redimibiles; ut census augeri super eadem re constitui non possit, et hujusmodi, prout videre est in citatis Extravagantibus Martini V et Callisti III *Regimini. de Emption. et vendition.*, et præsertim Bulla Pii V hic annexa.

153. *Bulla Pii V certas conditiones ad censum requirens.*

**Pius V, episcopus servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.**

« Cum onus Apostolicæ servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuisse, et in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites a nostris antecessoribus eisdem contractibus statutos, verum etiam quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam divinarum manifestum contemptum præ se ferunt, non potuimus animarum, prout tenemur saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfaciendes, tam gravi morbo, lethiferoque veneno salutari antidoto non mederi.

« § I. Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum seu annum redditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura frugifera, et quæ nominatim certis finibus designata sit.

» § II. Rursum nisi vere in pecunia numerata presentibus testibus, ac notario, et in actu celebrationis instrumenti, non autem prius respecto integro justo pretio.

» § III. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

» § IV. Conventiones directe vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

» § V. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper et libere, ac sine solutione laudemii seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

» § VI. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus præferri, eique denunciari conditiones, quibus vendenda sit, et per mensem expectari.

» § VII. Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas aut certa salaria, aut ad salaria seu expensas medio juramento creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, et nulla.

» § VIII. Imo et censum augeri, et novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri omnino prohibemus.

» § IX. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure, et ex natura contractus non spectarent.

» § X. Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte affecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extinguî: Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imo centum et plurimum annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis, aut clausulis concepta sint.

» § XI. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum

erit, et post denunciam, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, et ubi pretium nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quancunque redditum extinguî posse, prævia tamen semper denuncia de qua supra et non obstantibus his, de quibus supra, idque observari mandamus etiam quod pluries denuntiatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.

» § XII. Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum, ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus.

» § XIII. Contractusque sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios judicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse vel tacita contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vindicari.

» § XIV. Hanc autem salutiferam sanctionem necdum in censu noviter creando, verum etiam in creato quocunque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, et in omnibus servari volumus.

» § XV. Declarantes pretium semel censui constitutum, nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes minui vel augeri.

» § XVI. Et licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censuræ honorum religiosorum subijciant, et animarum saluti consulant.

» § XVII. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, statutis, et consuetudinibus, necnon privilegiis et litteris, etiam per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriis derogatoriis, necnon irritantibus decretis, ex quavis causa etiam per modum legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem universitatum, collegiorum, congregationum, civitatum, et locorum concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores presentibus pro expressis habentes, quatenus directe vel indirecte præsentis nostræ constitutioni in toto vel in parte